

1828  
I. N. I.  
DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS  
DE

# APOPLEXIA

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

## GVILIELMO HEINRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGA-  
RIAE, WESTPHALIAE ET RELIQA

AVCTORITATE ET CONSENSV

GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE

IN ALMA SALANA

SVB PRAESIDIO

## HERM. FRIDER. TEICHMEYERI

PHIL. ET MED. DOCT. ANATOMIAE, CHIRVURGIAE ET BOTA-  
NICES P. P. O. ET ACAD. SCIENT. BORVSS. SOC.

PATRONI ET PRAECEPTORIS SVI COLENDISSIMI

### PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
IVRA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
LEGITIME, MORE MAIORVM, CONSEQVENDI  
PVBLICAE ET SOLENNI DISQVISIONI

SVBMITTIT AVTOR

### IMMANVEL EGGERT

ELBINGENSIS BORVSSVS.

---

AD DIEM APRIL. M DCC XXVIII.  
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS.

---

IENAE, EX OFFICINA MVLLERIANA.

thol. spec.

310, 22

Mot spec

APOTHECA

GALLIENUS

HELMUTH

PRO LICENTIA



## PROOEMIUM.



Ignorata corporis humani structura, præcipua errorum in re medica scaturigo est. Qui enim nescit partium conformationem mechanicam, nescit quoque veram earum functionem; multo minus eruere e tenebris potest sat obscurum modum, quo corpus a morbo affligitur. Talis Medicus, in Anatomia imperitus, nil recta methodo molitur in salutem ægrotantium, & si quid in iis, quas suscipit, morborum curationibus feliciter defungitur, fato succedit curatio, aut robori virium ægrotantis potius tribuenda, quod a mitioribus morbis detrimenta illata absque injuria interdum perferre, imo & vincere potest. Qua ratione quæso potest ille morbus expugnari, cujus sedes ignoratur, cujus-

A 2

que

que natura Medicum latet. Corpus enim afficitur, non vero anima, nisi per accidens, dum instrumentum, quo utitur anima, morbus pessundat. Majores nostri, in Anatomia haud versati, ex hac ratione diversos sibi plane atque erroneos de Apoplexia ejusque sede formarunt conceptus. Postquam vero præclarissimi viri & Anatomici, quos inter eminent WILLISIVS, VIEVSSENIVS & RIDLETIVS, stupendam cerebri structuram aggressi sunt; postquam, cum BAGLIVIO & MATOVIO, eruditissimus Romanus Medicus & Anatomicus, PACCEIONIVS, duræ meningis fabricam & munia demonstravit, ac observationibus comprobavit: Nemo amplius fere inter eruditos de vera Apoplexiæ sede dubitat, quod illa primario in ipso capite & partibus cerebri sit quærenda. De hoc fatali morbo capitis præsentem dissertationem inauguralem conscribere, ejusque historiam concinna brevitate exponere, in animum induximus. Faxit Divinum Numen, ut fiat feliciter.

### Th. I.

**A** Poplexiæ vox græca est ἀπο τῆ ἀποπλήττειν a percussione, hincque percussione significat, quia ea correpti veluti a valido capitis ictu subito concidunt, sine voce, sine sensu, & sine motu. Idem morbus voce latina *Sideratio* vocatur, dum ii, qui ab eo affliguntur, haud secus ac de coelo tacti, & maligno fidere afflati, subito attoniti, & functionibus omnibus animalibus destituti, corruunt. Ideo in morbo hoc aliquid divini inesse, non sine ratione vulgo crediderunt & germanice *den Schlag, die Hand Gottes* appellaverunt, CELSVS Apoplexiam vocat *nervorum resolutionem,*

nem,

*nem.* Vis enim nervorum in hoc morbo haud aliter perit, ac si omnes nervi a cerebro, cerebello & spinali medulla essent soluti & recisi. Mens igitur cum corpore simul stupet. Est itaque Apoplexia sensuum tum internorum, tum externorum, imo motuum, inprimis voluntariorum, plerumque subitanea, interdum quoque successiva, abolitio, superstita pulsui & respiratione, quæ maxima cum difficultate & stertore fit, dependens a meningum cerebri ac nervorum lesione, & fluidi nervosi per nervos ad partes fluxu & refluxu impedito. Patet hinc, quod affectus noster gravissimus pertineat ad symptomata actionum læsarum, in specie animalium. Sensus enim, tum interni, tum externi, imo & motus, extinguuntur, dum fontes spirituum animalium, vel fluidi nervei occluduntur.

## Th. II.

Apoplexia dividitur in universalem & particularem. *Universalis* totum corpus afficit, omnesque actiones vel extinguit, vel enormiter imminuit. In tali statu nervorum origines, in medullari cerebri, cerebelli & spinalis medullæ parte existentes, obstruuntur, & ita ubique sensuum perceptiones, & motus organorum deficient. *Particularis* Apoplexia dicitur Paralyfis, secundum GALEN. *Lib. 3 loc. affect. Cap. ultimo*, ubi inquit: si totum genus nervosum afficitur, est Apoplexia, si vero vel dextrum, vel finistrum latus, vel membrum aliquod, Paralyfis appellatur. Nihilominus tamen Apoplexia, Paralyfis universalis a nonnullis vocatur. Ad species Apoplexiæ particularis referri debet *Paraplegia*, sive *Paraplexia*, quæ est Paralyfis totius corporis, capite tantummodo excepto. Totum enim corpus inferius resolutum, prostratum atque insensibile deprehenditur, in capite vero aliqua sensus & motus vestigia relinquuntur. Est quidem morbus rarissimus, interim tamen contingit, vel per violentam luxationem vertebrarum, inprimis colli, vel sine prævia violentia, sponte in senibus, qualem observavit celeb. HEISTERVS, Anatomicorum Germaniæ nostræ faci-

le princeps, in Theologo Altorffino. Vid. Dn. D. PEYERI Dissert. inaug. de *Apoplexia*, Helmstad. habitam sub praesidio celeb. MEIBOMII. 2.) *Hemiplexia*, sive unius lateris sensus & motus privatio, in qua os, ad sanum latus contortum, ex angulo labiorum salivam fundit, cum loquelæ impotentia. Et quamvis *Hemiplexia* plerumque productum sit & effectus *Apoplexiæ*, tamen ut specialis morbus considerari debet, qui quoque citra *Apoplexiam* totalem nasci potest. 3.) occurrit *Aphonia*, sive Paralyfis organorum vocis, a læsis linguæ motoriiis atque laryngis nervis. 4.) *Phalangosis* & *Ptoxis* Paralyfis est muscoli attollentis palpebræ superioris, qua præsentè oculus clausus manet, nec palpebræ aperiuntur. Si vero palpebræ inferioris muscoli a Paralyfi resolvuntur, fieri potest *Ectropium*. 5.) Si muscoli tunicæ uvæ & fibrarum ciliarium pupillæ propter Paralyfin non convenienter dilatantur, vel constringantur, fit *Hemeralopia*, vel *Nyctalopia*. 6.) Si os propter Paralyfin ad unum latus diducitur, fit *Spasmus Cynicus*. 7.) Si muscoli penis Paralyfi laborant, nulla fit mentulæ erectio, & ad congressum adaptatio, unde impotentia conjugalis. 8.) Si sphinæter vesicæ paralyticus redditur, contingit *incontinentia urine*. 9.) Ex tunica dartos, musculosa Paralyfi resoluta, oritur *Racosis*, vel scroti elongatio. His tandem. 10.) jungi potest Paralyfis manuum, pedum, imo unius alteriusve digiti, in qua tantummodo rami, vel ramuli nervorum læduntur, vel a vulnere, vel compressione, vel obstructione a tartaro atque viscoso principio. Regulariter in Paralyfi motus & sensus simul perire solent. Interim confirmant fide dignissimorum Medicorum annotationes, quod in Paralyfi interdum sensus adhuc superstes maneat. Hinc recentiores Medici duplices assunt nervorum propagines; duriores, ad musculos tendentes, pro motu, subtiliores vero pro sensu absolvendo. *Apoplexia* in tres gradus communiter dividitur: 1.) In *fortissimam*, quæ statim functiones, tum animales, tum vitales, re-

spira-

spirationem & pulsum, vel plane extinguit, vel adeo enormiter imminuit, ut sensu deprehendi vix possint. Hic conspicitur vera mortis imago. Ideoque vitæ præsentia vel plumula; vel candela accensa, & naribus admota; vel speculo, ori applicato; vel cyatho, aqua repleto, & pectori imposto, exploratur. In tali statu exercitatisissimi quandoque Medici judicium ancipiti sententia suspensum est, & nescit interdum, an morbus ille sit Apoplexia, an Syncope, an Ecstasis melancholica, an catarrhus suffocativus, an suffocatio hysterica & hypochondriaca, ob defectum signorum pathognomonicorum. Verum aperto cadavere & iustrato demum cerebri statu, causa mortis subitanæ in oculos incurrit. Quotus quisque prohi dolor! non obambulat inter vivos, externo adspectu satis vegetus & valens, qui tamen intra calvariam prædonem vitæ suæ nutrit & fovet, quod ex sequentibus apparebit. 2.) *Apoplexia fortis* illa est, in qua sensus & motus extinguuntur, remanente pulsu & respiratione stertorosa. Hæc Apoplexia terminatur vel in Hemiplexiam, vel in Paralyfin. 3.) *Species Apoplexiæ mitis, debilis & imperfecta* est, in qua pulsus & respiratio conservantur, & naturalis faciei color non mutatur, homines quoque restituti ad se redeunt, manet tamen plerumque motuum & sensuum, imo ipsius memoriæ & iudicii imbecillitas, quia relaxati & obstructi nervi vix plenissime iterum aperiuntur, & pristinum tonum reassumunt. Porro *Apoplexia* dividitur ratione sedis a WILLISIO, in *Pathologia*, Cap. 8. & celeberrimo IOERHAAVIO, Aph. pathol. 1009. in *cerebri & cerebelli*; ratione causæ a WEPFERO, in *Tr. de Apoplexia*, in sanguineam, serosam & polyposam. *Apoplexia sanguinea* in plethoricis a superabundantia, rarefactione, stagnatione & extravasatione sanguinis oritur, sive illæ fiant in arteriis vertebralis & cervicalibus, sive in dura & pia matre, sive in ventriculis, sive plexu choroideo, sive in substantia cerebri. *Serosa*, in cachecticis & cacochymicis frequens, a vasorum lymph-

lymph-

lymphaticorum cerebri dilatatione & ruptura nascitur, item ab hydatidibus plexus choroidei, & cumulatione atque denegata excretionem lymphæ cerebri, imprimis ob glandulam cerebri pituitariam, læsam atque obstructam, ut vult celeber. LITRE, vel propter Paralyfin valvulæ cerebri majoris. *Polyposam* videbimus oriri per polypos vel vasorum vertebraliū atque carotidum, vel sinuum duræ matris, qui polypi sanguinei vocantur, vel per polypos cerebrales, quales observarunt Medici excellentissimi Berolinenses, in Actis, Vol. I. p. 32. & seqq. item vir summus, LANCISIUS, in Tract. de Mortibus subitaneis.

## Th. III.

*Subiectum Apoplexiæ universale* est totum corpus, cuius organa fere omnia ab ea resolvuntur, & cuius viscera, eorumque contenta, fatalis huius morbi causas suppeditant, ideoque considerari potest totum corpus etiam, ut subiectum causæ morbificæ, quod in sequentibus patebit. *Subiectum principale vero & immediatum* constituit vel cerebrum tantum, vel cerebrum, cerebellum & medulla oblongata simul. Inprimis autem ab Apoplexia læduntur origines & radices nervorum, in parte medullari cerebri existentes. Ita commercium inter cerebrum & reliquas corporis partes aufertur; ita actiones a cerebro provenientes extinguuntur. BARTHOLINVS atque DIMERBROECKIUS accusant primario medullam oblongatam. WILLISIUS sedem mali in corpore calloso quæsit, quod rationi quoque valde consentaneum esse videtur. Omnes enim nervi circa corpus callosum, fornicem & septum pellucidum concurrunt. Hinc etiam a recentissimis animam hic primario existere statuitur, quod dilucide satis probavit LANCISIUS, in *Epistola* quadam, ad celeb. FANTONIUM, Taurinensem, 1712. conscripta, quæ reperitur in *Theatro Anat.* MANGETI Lib. 4 Cap. 2. Simile quid defendit celeberr. Mospeliensium Medicus,

cus,





infantibus, licet paulo rarius, morbus hic interdum obtingit, notante ZWINGERO, in *Pædiatrea practica*, Basil. 1722. edita, Observ. 13. p. 90. præsertim si dispositio hæreditaria illis debile concessit cerebrum.

Thef. VI.

Res non naturales diversimode corpus humanum ad Apoplexiam disponunt, & inter illas aer effluviis virulentis, salinis, stypticis, mercurialibus, arsenicalibus aliisque nocivis refertus, a quibus spiritus ligantur & figuntur, vasaque cerebri constipantur. Hinc metallarii, aurifabri & cinifiones tot morbis nervorum excruciantur, & attonito morbo ultimo intereunt, in quorum cerebro postea dissecto, & lynceis oculis centies accuratissime peruestigato, ne umbra quidem sensibilis læsionis reperitur. Vide KOZACK *de Sale, ejusque in corpore humano resolutionibus salutaribus & noxiis*. Aer frigidus, & ab assiduis imbribus humidus, autumnalis, brumalis, imo subterraneus, Coryzam & Gravedinem accerfit, ergo quoque Apoplexiam, teste HIPPOCR. *L. III. Aph. 23.* & MERCURIALI, in *Consiliis*, N. 38. qui, ob aerem frigidum Germaniæ inferioris, Apoplexiam morbum Germaniæ endemium esse scribit. Frigoris effectus in coagulatione & constrictione consistit, a qua facile fluida nervea, sanguis & cerebrum coagulantur & comprimuntur. Fulminis, in aere geniti, maxima est efficacia ad homines attonitos reddendos. Quemadmodum enim Spiritus vini a vino in doliis, per fulminis vim, separatio, vini corruptionem post se trahit: Ita pari ratione corpus humanum a fluido suo nerveo in momento privatur. Et notatu dignum est, quod a fulmine tacti embryones in utero pereant, salva manente matre, dum eorum cerebrum molle facilius læditur, & eorum spiritus facilius dissipantur. Ante omnia repentina producit mors & Apoplexia in helluonibus ab ebrietate, dum inebriantia in principio sanguinem rarefaciunt & expandunt, deinceps vero, vi quadam styptica, tubulos &

vasa

vasa cerebri constringunt, id quod ad opiata, narcotica, & stupefacientia quoque applicari debet. Notabile exemplum legitur in citata MEIBOMII, Helmstadiensis P. P. O. celeber. Dissert. *de Apoplexia*, de aulico quodam, Apoplexia mortuo, ex cujus cerebro, dissectis meningibus, odor Spiritus vini manifeste prorumpens omnes adstantes afflavit, non obscuro indicio, Spiritus vini particulas, cujus maximam copiam ante mortem assumerat, ipsa cerebri vasa penetrasse. Jure meritoque ideo Apoplexia ebrietatis pedissequa ab omnibus Medicis sanioribus statuitur, teste LANCISIO, in *Tract. de Mortibus subitaneis*. Omnes enim, qui Romæ subitanea morte perierunt, helluones & gulones fuerunt, & potationibus indulserunt. Nimia *quies*, vitæque sedentaria hominis otiosi sanguinem viscosum, gravem lentumque reddit, ideoque si dormiens supinus decumbit, facile in Apoplexiam incidit, dum sanguis in capite cumulat, ut refert, atque exemplis confirmat LOWE-RVS, in *Tract. de Corde*, p. 52. E contrario *excessivus labor & meditatio* nunc sanguinem expandit, nunc spiritus infringit, eorumque vim debilitat. Hinc est Apoplexia eruditorum morbus, quorum labores cogitationibus, meditationibus perficiuntur. Hanc dissipationem spirituum in studiis eleganter explicuit BARTHOLOMAEVS DE MOOR, Hardervicensium Medicorum decus, in *Cogitationibus suis de Institutione Medicinae. De Apoplexia, ex affectibus nata*, mille reperiuntur apud scriptores observationes. Et insuper experientia docet, terrorem, metum atque tristitiam corpus, ejusque vasa constringere, fluidorum elasticitatem subito comprimere, sanguinemque ad interiora reprimere & coagulare posse, ira contra, & excessivum gaudium, ultra modum commovet, rarefacit, fluidaque expandit. Vid. Illust. HOFFMANNI *Med. rat. System.* Tom. 2. p. 159. & 160. Oppressæ *evacuationes* consuetæ magnum ad ciendam Apoplexiam momentum habent in iis, qui cerebro sunt natura

imbecilliores. Dn. PRAESES observavit in viro, obstructione urinæ a calculo incuneato laborante, affectus soporosos, & Apoplexiam supervenientem, vitæ finem facientem, sine dubio, quia vasa meningum, liquoribus ultra modum repleta, cerebri basin medullarem plenissime comprimebant. Exempla apoplecticorum a mensibus, lochiis & hæmorrhoidibus obstructis consignaverunt AMATIVS LVSITANVS & FONTANVS, in *Responsionibus & Curationibus medicis*, Lib. I. Veneris abusus & libidinosa juvenus, ut loquitur SENECA, effoetum reddit corpus in senectute. Hinc bene monet CELSVS, L. I. Cap. I. quando inquit: Concubitus neque nimis concupiscendus, neque nimis pertimescendus est, rarus corpus excitat, frequens solvit. Apoplexiam ab abusu veneris observavit HERIVS, in *Observ. N. 9.*

Th. VII.

Inter causas præternaturales, Apoplexiam producentes, aliæ existunt in capite & cerebro, aliæ in reliquis corporis partibus. Sic a Diathesi scorbutica Apoplexiam derivat DRAWIZIVS, in *Tract. de Scorbuto*, & a lue venerea RHODIVS, *Centur. 1. Obs. 34.* A scabie retropulsa extat exemplum in *Ephem. N. C. Ao. I. Obs. 58.* Quo pertinent revera omnes morbi maligni acuti & exanthematici, quorum salia fluiditatem, elasticitatem & volatilitatem sanguinis atque spirituum figunt, ligant, supprimunt, & ita sensum & motum tollunt. Notatu dignum vero est, quod a Colica, quæ homines sæpius excruciat, tandem producatur Apoplexia, teste SCHENCKIO, in *Observ. L. I.* Et in *Dissertatione de Paresi ex Colica*, sub Præsidio B. SCHELHAMMERI hic habita, quoque reperitur historia, a B. WEDELIO observata, de Colica, ultimo in Apoplexiam conversa. Nemo vero, uti arbitror, præter VALSALVAM, C. 5. *de Aure humana* p. 68. & ce-  
leber. MORGAGNI, in *Advers. N. 6. Animadv. 87.* hanc rem curatius dijudicavit. Illi autem ita sentiunt: Repentinæ mortis causæ licet adsint, nullæ tamen sensibiles in  
cada-

cadaveribus interdum apparent, quæ sine dubio in obscura nervorum læsione consistunt, non tantum universali, sed etiam particulari, si nempe nervi in hac vel illa parte fortissime comprimuntur, & enormiter tenduntur, quales nervorum tensiones & compressiones post gravissimos intestinocoli cruciatus interdum contingunt. Jam possumus intelligere, quomodo fiat Apoplexia a Colica, passionibus hysteriis, hypochondriacis, imo affectibus thoracis, dum plexus nervosi thoracis & abdominis, enormiter pressi & tensi, ultimo nervorum læsionem in origine relinquunt. Ad confirmandum hoc systema VALSALVA, l. c. notabile allegavit exemplum, nempe jugulum canis filo arcte constrinxit, illico iterum dissoluto, canis autem nihilo minus intra aliquot dies mortuus est. Post mortem curiose perlustravit corpus, sed nullum sensibilis læsionis vestigium offendebat. Concludunt itaque celeberrimi viri, canem fuisse mortuum ex insensibili structura labefactata nervi cordis. Quid ideo miramur, homines periisse Apoplexia, ex Colica nata, quæ nervos intestinorum, imo totum plexum nervosum abdominis, tam enormiter tendit.

## Th. VIII.

Ossa cranii depressa, fissa, fracta & vulnerata Apoplexiæ matres sunt, imo, quod mirum est, fortis cerebri commotio, & capitis concussio sola, absque omni partium internarum manifesta læsione, absque ulla sanguinis extravasatione, ita cerebri poros obtundere atque obstruere valet, ut statim oriatur Apoplexia & mors, teste HORSTIO, L. 2. de Morbis capitis, & HILDANO, Cent. 6. Obs. II. qui Apoplexiam a colapho productam consignavit. Depressio cranii hominis tamdiu stupidos reddit, quamdiu cerebrum ab illa comprimitur. Fissura & fractura, contra fissura & camarosis sanguinem effundunt intra cranium, & duram matrem, ob læsionem vasorum cranii, qui sanguis stagnans si per trepanationem non educitur, certissime hominem

minem attonitum reddit, eo certior vero est Apoplexia, si per festucas cranii, a cranio separatas, ipsum cerebrum simul vulneratur. Dura mater, sive dura meninx, quocunque modo læsa, Apoplexiæ, vel Epilepsiæ & Convulsionum causa est. Etenim dura mater est embolus cerebri, motu suo systolico sanguinem ad venas, fluida nervea vero ad nervorum propagines premens, & per totum corpus dispensans, componitur ex tribus musculis, cujus tendines cum cranio circa suturas cohærent, in reliquis vero partibus illi a cranio separati reperiuntur. Hæc dura mater si paralytica redditur, infert Apoplexiam; si convellitur, Epilepsia præsto est. Vide MALPIGHIVM, in *Consiliis de Epilepsia*; MAYOVIVM, in *Operibus Medico-Physicis*, p. 332. ubi inquit, Epilepsiam, ut & Apoplexiam, a membranæ prædictæ (loquitur de dura matre) convulsione, aut Paralyfi, nonnunquam oriri. Et quod duræ matris Paralyfis in omnibus fere moribundis contingat, exinde patet, quoniam fontanella infantum, alias eminens, semper observatur in agonizantibus depressa. Dignissimus celeberrimi HEISTERI discipulus, & Noribergensis Physicus, Dn. D. TREV, in *gründlicher Nachricht von einer raren Haupt-Wunde eines jungen Zigeuners*, 1724. observavit cerebrum vulneratum eminens, & ultra margines vulnerati cranii assurgens, instante vero morte illud valde collapsum atque depressum conspiciebatur. Quare cerebrum eminebat? Respondeo, ob defectum duræ matris, quæ perforato, per trepanum, cranio mox in tumorem assurgit, mox vicissim subsidet, teste MAYOVIO, p. 331. Plura porro sunt in dura matre contingentia, quæ tandem repentinæ Apoplexiæ & mortis causæ fieri possunt. Quo pertinent eorum inflammationes & abscessus, a quibus oriri posse Apoplexiam, confirmat WILLISIVS, l. 1. c. propriis observationibus. Non vero sola dura mater, utpote musculus, ab inflammationibus & abscessibus in negotio suo, ad vitam adeo necessario, læditur, sed & totum cerebrum, a Phrenesi inflammatum,

matum,

matum, per suppurationes corrumpitur, atque in pus resolvitur. Et quamvis cerebri suppurationis possibilitas a nonnullis fit in dubium vocata, tamen notabile exemplum, in *Ephem. NAT. CVRIOS.* anno 6. Decad. 2. a. Dn. D. ALBRECHT, Hildesienſium Archiatro celeb. obſervatum, hujus rei veritatem confirmat. Virgo enim quædam incidebat in febrim continuam, quæ de die in diem intendebatur, in creſcebant dolores capitis intolerabiles, deſipere & furioſe loqui incipiebat, quinto die profundo ſopore obruebatur, oculis perpetuo clauſis, in quo ſtatu ad decimum quintum diem permanſit, donec matutino tempore puris albiſſimi quantitas, fruſtulis cerebri colliquati permixta, cum impetu, ex naribus proſiliebat, ſub qua evacuatione mortua eſt, & quidem Apoplexia, nata ex Caro & Phreneſi.

## Th. IX.

Ad cenſum cauſarum Apoplexiæ referri debent polypi cerebrini atque ſanguinei. Sanguinei concreſcunt intra vaſa & ſinus duræ matris. Cerebrini vero, vel medullares, excreſcunt in ipſa cerebri ſubſtantia, hincque diuturnam poſt ſe trahunt Cephalæam, qua moleſtantur homines ante Apoplexiæ inſultum. Polypos ſanguineos in ſinibus duræ matris obſervavit Dn. D. SCHWARTZIVS, in *Act. Berolin.* vol. I. p. 46. ubi quoque exempla polyporum medullarium reperiuntur, quales inſuper vidit LANCISIVS, l. c. Et quemadmodum polypi cordis ſanguinis motum progreſſivum confundunt: Ita cerebrini cerebrum comprimunt, & motus fluidorum nerveorum impediunt.

## §. X.

Pia mater, vaſculis ſanguineis undique repleta, ſubjectum cauſæ affectus noſtri eſſe poteſt, ſi ſanguis ibi ſtat, extravafatur, & cerebrum comprimit. Simile quid fit, ſi vaſa rumpuntur plexus choroidei, quale quid obſervavit DRELLINCVRTIVS, & in ventriculorum cavitates ſanguis effunditur, ut annotavit WEPFFERVS & ZWELFERVS. BARTHO-

LINVS

LINVS a ruptis vasculis corporis reticulati, circa glandulam pinealem existentis, Apoplexiam vidit.

§. XI.

Si solito major quantitas feri in cerebro colligitur, tunc æque ac a sanguine orificia nervorum clauduntur (& comprimuntur. Talis collectio interdum subitanea, interdum successiva esse potest. NYMMANNVS, Prof. quondam Wittenbergensis, in Tract. de Apoplexia, negat a sero extravasato Apoplexiam, objiciens statum Hydrocephalo laborantium, qui, secundum suam sententiam, non apoplectici reddantur. Verum ad hanc objectionem respondere possumus facile. Nam 1.) omnes hydrocephalici sunt soporosi. Ergo ad Apoplexiam inclinant, quæ inter affectus soporosos gravissimus ab autoribus vocatur. 2.) Hydrocephalus affectus modo frequens est in infantibus, & quidem recens natis, quorum crania per membranas coherent, & cedere valent, nihilominus ultimo moriuntur cum signis apoplecticorum. Sero collectio momentanea est, si vasa lymphatica cerebri rumpuntur, vel si lymphæ cerebri ventriculorum cerebri per infundibulum & glandulam pituitariam ad sanguinem non reducitur, vel si lymphæ calami scriptorii a valvula cerebri debilitata, per pontes Sylvii & Varolii, infundibulum versus, non promovetur, quibus in casibus brevi tempore enormis cerebri lymphæ quantitas, cerebrum comprimens, in ventriculis colligitur. Successiva vero esse potest hæc lymphæ collectio, si hydatides generantur in plexu choroideo, vel si exiguum vas lymphaticum rumpitur, qualem concedit ipse MORGAGNI, in *Adversar.* N. 6.

§. XII.

Non vero tantum in cerebro delitescunt Apoplexiæ femina, sed & in arteriis vertebralibus, cervicalibus atque carotidibus illa reperiuntur, a quibus illæ vel obstruuntur, vel comprimuntur. Sunt quidem hæc vasa recentissimo & fluidissimo sanguine, a corde expulso, repleta. Sunt in-  
super



super in perpetuo motu systolico & diastolico, ita, ut vix quicquam in illis coagulari possit. Interim ex observationibus practitorum, imprimis WEPFERI, constat, repertas ibi fuisse polyposas concretiones, quæ quidem in ipsis arteriis natæ non sunt, sed a corde potius originem ducunt. Si itaque talis coagulata, ut polyposa, materia arterias dictas intrat, vasa obstruuntur, affluxus sanguinis ad cerebrum intercipitur, & ulterior fluidi nervei secretio celerrime fistitur. Dilatari enim non possunt dictæ arteriæ, quoniam per foramina ossæ ad cerebrum assurgunt. Arteria carotis insuper ab extra comprimitur interdum a scirrhosis glandularum colli indurationibus, & in suspensis a laqueo, qui ideo Apoplexia moriuntur.

Thef. XIII.

Signa diagnostica alia instantem, alia præsentem, indicant Apoplexiam. Signa imminentis desumuntur ab hominum ætate, in specie senili, in qua præ cæteris, ob defectum spirituum, & humorum viscositatem, hoc malum valde solenne est. Porro a doloribus capitis, Cephalalgia, Cephalæa, Hemicrania, Clavo, dolore pulsante, gravativo, lancinante, quæ omnia confirmant, adesse quid sub calvaria, quod cerebrum molestat, five fit sanguinis, five lymphæ stagnatio, five polypi, scirrhi, hydatides, vermes, five calculi. Quo pertinent vertigines tenebricosæ, oculorum caligines, aurium tinnitus, memoriæ imbecillitas, lacrymarum fusiones, torturæ oris, sensuum hebetudines, vocis tarditas, linguæ impotentia, somnolentia, extremorum perfrigerationes, stridores dentium in somno, tonpores & stupores, imo tremores artuum, ex quibus omnibus præsupponenda est nervorum relaxatio, cerebri & spirituum debilitatio.

Thef. XIV.

Inter signa Apoplexiæ pathognomonica primum est *sensuum & motuum defectus*. Quocunque enim modo liqui-  
C di

di nervosi secretio, & ad partes promotio impediatur, statim fit Apoplexia. Vita enim exposcit repletionem omnium nervorum, a spiritibus factam. Si vero nervi non sunt repleti, quoque non sunt tensi, sed flaccidi, & ab objectis motus excitati, ad sensorium commune, septum pellucidum, fornicem, & corpus callosum non deferuntur. Ideo nervi in statu naturali non aliter considerantur, quam ut chordæ, convenienti modo expansæ. Secundum signum est *respiratio difficilis*. Fieri respirationem ope musculorum intercostalium, & imprimis diaphragmatis, notum est. Nervi vero, ad diaphragma tendentes, oriuntur partim ex nervis brachialibus, partim intercostalibus, partim & paris vagi. Nervi brachiales oriuntur ex vertebralibus colli tripla radice, & dum postea coeunt in unum truncum, dicitur diaphragmaticus, conjungitur quoque cum ramo intercostali. Ab his nervis musculi intercostales omnes nervorum propagines sortiuntur. Ipse nervus intercostalis a quinto & sexto pari nervorum cerebri originem ducit. Vid. HEISTER, in *Compend. Anatom.* p. 134. & seq. Cum his nervis jungitur deinceps par octavum. Porro ex anatomia cerebri patet, quod quintum & sextum par nervorum oriatur ex basi medullari circa processus annulares, octavum vero tectum sit antrosum per processum petrosum. Hinc licet totum cerebrum comprimatur, nervi intercostales & paris octavi vix comprimuntur atque læduntur, quia cerebellum sub tegmine duræ matris est absconditum, cujus duplicatura cerebrum a cerebello separat, cerebrum sustentat, & cerebellum a compressionibus immune reddit, ut ita prædicti nervi in salvo existentes, spirituum ad organa thoracis motum perficiant. Ex simili fundamento in Apoplexia superstes manet motus cordis, quia cor communibus cum organis respirationis nervis gaudet. Tertium itaque signum est *motus cordis, pulsusque ut plurimum fortis*, secundum celeb. BOERHAAVEN, §. 1008. cujus ratio ex jam dictis illucescit. Quia vero

vero

vero circulatio aliqualis in apoplecticis continuatur, *rubedo faciei*, utpote quartum signum, adesse debet, dum sanguis in apoplecticis per vasa faciei adhuc movetur. Ob motus sanguinis defectum pallet facies in syncopiticis & lipothymicis. Major interim est rubedo faciei in Apoplexia sanguinea, nata a polypo, arterias vertebrales & carotides replente. Quintum existit *respiratio stertorosa*. Uvula in homine sano suspensa servatur, & membrana palati musculosa tensa atque expansa reperitur. In apoplecticis vero muscoli pterygo-staphylini & salpingo-staphylini uvulæ & palati communes, imo & alii, a VALSALVA, MORGAGNI & DRAKIO inventi, fiunt paralytici. Et dum uvula deorsum pendet, faucesque replet, impingit necessario aer in hanc pendentem uvulam, & tunicam palati flaccidam. Ergo fit stentor, qui in nonnullis personis dormientibus, & supine jacentibus, plane naturalis est. Quo vehementiores vero sunt ronchi, quo copiosior spuma, eo periculosior erit Apoplexia. Indicat enim, musculos respirationis & uvulæ penitus esse Paralyti resolutos, & metuendam esse plenariam influxus spirituum animalium interceptionem. *Sexto saliva prorumpit*, quæ in spumam conversa, os replet. Hujus rei ratio derivanda est a Paralyti sphincterum ductuum salivalium. Quemadmodum enim alia majora vasa excretoria, ut vesica urinaria, fellea, &c. gaudent suis sphincteribus: Ita similes sphincteres in omnibus glandulis & ductibus salivalibus, STENONIS, WARTHONII, RIVINI, NVCKII, WALTHERI, COSCHWITZII, HARDERI, BRVNNERI, &c. existunt. Dum vero harum glandularum muscoli sphincteres sunt resoluti, saliva sponte effluit, cujus secretio, durante adhuc motu cordis, peragitur. Effluit quoque saliva simili modo, & ob similem rationem, ex tonsillis, glandulis asperæ arteriæ, epiglottidis & glottidis, imo arytænoideis MORGAGNI, vid. *Adversar. I.* Ergo saliva, cum aere mixta, os replens, in stertorosa apoplecticorum respiratione mutatur in spumam. *Septimo accedit febris*, secundum HIPPOCRAT.

CRAT. L. 6. Aph. 57. ubi inquit : Qui valentes capitis repente doloribus corripuntur, & protinus mali fiunt & sterunt, intra septem dies intereunt, nisi febris intervenerit. Adest quidem statim febris in omni Apoplexia, verum occulta; Nam statim adest irregularitas motus sanguinis: Interim tamen si febris apoplecticum invadit, aliquot dies post paroxysmum, potius effectus est stagnationis & extravasationis liquorum, dum liquida eo tempore putrescunt.

Thef. XV.

In apoplecticis plerumque modo unum latus est affectum, & hæc afflictio sufficit ad hominem interficiendam. In quonam vero latere mali causa sit abscondita, primo intuitu vix determinabile est. VASALVA, l. c. asserit, se nullam ferme vidisse Apoplexiam, & alterius medietatis corporis resolutionem, cujus causam secto cadavere in opposita cerebri parte non invenerit. Est ideo in Hemiplexia lateris sinistri, dextrum cerebri hemisphærium sugillatum, compressum, aut quocunque alio modo in negotio suo labefactatum. Quam theoriam confirmat MORGAGNI, l. c. LANCISIUS, l. c. L. I. Cap. II. Inprimis hic celeberrimus vir aurigam suam apoplecticum de sella immotæ rhedæ dextrorsum procumbere vidit, in cujus aperto cadavere apprehendit cerebri hemisphærium sinistrum sugillatum, atque obscuro colore tinctum, vasaque piæ matris sanguine distenta. Concludunt ideo omnes tres laudati Medici, quod ex ipso cadendi modo haberi possit signum quoddam pathognomonicum, & si quis ad latus sinistrum projicitur, illius cerebri latus dextrum mali causam continere. Hoc suo modo applicari potest quoque ad epilepsiam, teste WILLISIO, *de Morbis convulsivis*. Tradit enim hic autor de virgine quadam epileptica, illam in omni paroxysmo cecidisse in latus dextrum, fortassis, quoniam in hemisphærio sinistro

mali

mali causa existeret. LANCISIUS & MORGAGNI, quorum verba hic citare licitum est, inquiunt: Debilitata dextra corporis medietate, in quam, communi firmiorique Anatomicorum opinione, distribui creduntur nervi, qui a sinistro cortice proficiscuntur, minimo negotio deficere eo in latere æquilibritas trunci, & versus illud casus totius corporis contingere potest.

## Thes. XVI.

Apoplexia merito refertur ad morbos acutos, imo acutissimos, utpote cujus cursus celerrime terminatur, & finis plerumque funestus atque lethalis est, docente HIPPOCRATE, Lib. II. Aph. 52. ubi inquit: Apoplexiam fortem nullo prorsus modo, debilem vero ægre curari posse. Nihilominus, secundum jam laudatum autorem, sperare possumus meliora, si febris ægrotantesprehendit, quæ morbum solvit, uti loquitur in *Coacis & Aphor.* Ad quem locum RIVERIUS addit, febrim esse debere satis auctam, & quidem statim in initio morbi, quæ dicta cum grano salis, & cum quadam limitatione sunt adsumenda, nec absolute vera sunt. Etenim si Apoplexia oritur a stagnatione sanguinis, & polyposis sanguinis concretionibus, tunc interdum per febrim, sanguinisque auctam commotionem & triturationem coagulatus sanguis resolvitur. In reliquis casibus autem, ubi Apoplexia nascitur a sanguine & sero extravasato, nihil aliud præstabit, quam mortis accelerationem, & liquorum extravasatorum putredinem. Porro crisis fit per lymphæ sanguinis, imo & puris evacuationem, docente HIPPOCRATE in *Coacis.* In tali hæmorrhagia narium, mensium & hæmorrhoidum, in specie largiori, vasa a sanguine superfluo liberantur. Quid vero de puris e naribus excretionem statuendum sit, primo intuitu dici non potest, & eventus id docere debet. Etenim vomica, sive puris collectio, in cerebro existens, & Apoplexiam producens, si minor est, tolli-

tur interdum per extraordinarium hoc puris stillicidium, & homo ita, quamvis rarissime, conservatur. Major vero suppuratio cerebri quid præstare soleat, docet antea citata historia. Quicquid insuper sit, si stertor increfcit, pulsusque decrefcit, tandemque sudor frigidus prorumpit, faciesque pallet, actum plerumque est de vita ægrotantis. Posito vero, quod unus alterve e mortis faucibus eripiat in primo paroxysmo, tamen morbus recidivus hunc citius, illum tardius, tandem interficit.

Thef. XVII.

Antea dictum est, quod gravis Apoplexia ita sit comparata, ut vix ab aliis morbis possit distingui, quoniam, præter functiones animales, deficient simul pulsus & respiratio. In mitioribus vero gradibus Apoplexia ab aliis morbis distingui potest, & quidem primo a *Syncope*, in qua facies pallet, quæ in Apoplexia contra, inprimis sanguinea, floret, imo saturata rubedine tinctæ reperitur. Secundo a *suffocatione hysterica & hypochondriaca*, in qua respiratio omnimode sublata est: quæ in apoplecticis vero stertorosa observatur. Tertio a *Lethargo*, in quo febris est cum excitationis facilitate: cujus in Apoplexia vix signa adsunt, nec excitari ægrotantes possunt. Quarto a *Caro* distinguitur respirationis integritate, huic affectui semper propria. Denique quinto a *Catalepsi*, in qua oculi aperti manent, totumque corpus quasi congelatur, cum rigore pertinaci, eum imitante corporis statum, in quo erat sub affectus insultum. V. g. Brachia expansa servant cataleptici stantes, apoplectici vero corruunt, & terram versus projiciuntur. In mentem mihi venit id, quod ante aliquot annos in dialogo Gallico referebatur de duobus catholicis sacerdotibus, rarissimo cataleptico morbo uno tempore fere afflictis. Quorum primus, missam legens, in ipso elevationis actu stans, expansis brachiis hostiam in manibus tenens reddebatur catalepti-

talepti-

talepticus. Secundus de novo missam orare incipiebat, at iterum in elevationis actu simili Catalepsi corripiebatur, ac rigidus expansis brachiis manebat. Vulgus clamabat: Hem! miraculum, miraculum! Medici autem hoc miraculum negabant, & catalepticum morbum, qui aderat, defendebant.

## Thes. XVIII.

Apoplexia, si unquam alius morbus, expertum & prudentem exposcit Medicum, qui ex jam dictis debitas sibi formet indicationes, tum in cura, durante paroxysmo, tum in cura, extra paroxysmum suscipienda. In paroxysmo ante omnia excitandus est æger, profundissimo detentus somno apoplectico. Hinc applicanda sunt omnia dolorifica, & alias sensibus molesta, sive ea remedia, quæ sensum restituunt, quæ fluidorum nervosorum imprimis, item lymphæ & sanguinis circulum redintegrent, quæ poros & tubulos substantiæ medullaris cerebri atque nervorum aperiunt, & impedimenta præparationis, secretionis & distributionis spirituum remonent, spiritus vero ipsos reficiunt. Quo hoc fiat, deportandus est æger in locum calidum, lucidum & aëro sereno puroque repletum. Collocetur cervice non nihil erecta, si os clausum fuerit, intruso quodam instrumento, oleo æthereo illito, dirimatur, diremtumque apertum servetur, ne vel linguam commordeat, vel ob aëris defectum suffocetur. Hoc facto palato applicetur remedium quoddam acre atque nervinum, v. g. Electuarium ex cubebis, semine sinapios, pipere longo, radice pyrethri, succo rutæ, raphani rusticani, Sale volatili cornu cervi, theriaca & melle rutaceo. Lingua fricetur vel simili electuario, vel, quod melius est, Sale quodam volatili, oleoso, liquido, subtilissimo, quod etiam constanter naribus admovendum. Sufficit spiritus Salis ammoniaci vinosus, cum calce viva destillatus, qui ex tempore dissolvit, & in se recipit copiosam ætheriorum, vel destillatorum oleorum quantitatem,

titatem, ut anthos, lavendulae, menthae, rutae, salviae, cinnamomi, caryophyllorum, zerrae, citri, macis, &c. De hoc extemporaneo Sale volatili oleoso, exigente necessitate, guttulae decem, vel viginti, mixtae cum uncia una aquae cinnamomi cum vino, liliorum convallium cum vino, melissae cum vino, balsamo embryonum, aqua carbunculi aurea, analeptica Langii, ori infundantur. Haec remedia penetrant poros omnium nervorum, & inibi existentes obstructions referant. In sexu sequiori addi possunt castoreum, ejusque essentia volatilis, liquor cornu cervi succinatus, oleum destillatum pulegii, tanaceti, matricariae, zedoariae, &c. Excitant porro moderatae corporis concussiones, agitationes, urticationes, secundum nonnullos fustigationes, frictiones, adhibito panno aspero, in plantis pedum, dorso, nucha, vertice, & aqua apoplectica dulci & amara diversorum autorum, Sennerti, Rolfinckii, Wedelii, aqua cephalica Caroli quinti & Monspeliensium, Anhaltina, spiritu regio Le Mortii matricali, anthos, balsamis apoplecticis spissis & liquidis diversorum autorum, celeberr. Hoffmanni, Dn. PRAESIDIS, balsamo Anglicano. Quo pertinet solutio olei genuini lavendulae, spiritu Salis ammoniaci subtilissimo parata. Si enim spiritus & oleum sunt rite preparata, uncia dimidia spiritus in se recipit drachmam unam olei & ultra. Hoc linimento totum pectus, totumque caput apoplecticorum inungendum, quo conservetur & redintegretur motus nervorum, imprimis quoque in organo thoracis. Vellicetur insuper pileis tibiaram, & si adsunt, barbae. Vetat B. WEDELIVS, in *Praxi clinica*, punctiones aculeis institutas, vetat quoque vellicationes pudendorum in utroque sexu, tanquam turpe remedium. Qui vero nihilominus hanc in loco adeo sensibili tentant, fortassis cogitant, natura praeside nihil turpe esse. Huc pertinent frictiones plantarum pedum adhibita excutia, panno setaceo, valde aspero, spiritu vel vinoso, vel urinoso imbuto, non vero aceto. Omnia enim acida, quo

&



& pertinet fumus sulphuris accensi, magis figunt, ligant & supprimunt Sal volatile sanguinis atque spirituum, simulque coagulant. Sternutatoria inflentur ex speciebus diatabaci Mynsichti, diamajoranæ, vel alii pulveres, compositi ex herba mari veri & Syriaci, majoranæ, floribus liliorum convallium, addito pauco pulvere hellebori albi, Sale volatili cornu cervi, oleo lavendulæ. Excitant porro clysteres ex purgantibus, radice cyclaminis, asari, hellebori nigri, herbis cephalicis, pulpa colocynthidis, electuario hieræpicæ cum agarico, Salis ammoniaci tantillo, & aquæ calcis vivæ. Sunt qui ipsum crocum metallorum tali decocto addere jubent, ast tutius est, leniora enemata, atque non adeo periculosa, activa tamen, per vices repetere, imo alvum insuper suppositorio stimulare. Commendantur ab autoribus purgantia atque emetica, utpote stimulantia dolorifica, & motum restituentia, quæ suo modo in leviori Apoplexiæ gradu, in quo & vomitus spontanei interdum excitantur, cum fructu adhibentur. In graviore vero, propter Paralyfin musculorum oesophagi, non ad ventriculum deferuntur. Deglutionis enim actus exposcit pressionem, quam præstant muscoli linguæ & oesophagi. Sponte enim, & propria gravitate, alimenta ad ventriculum non deferuntur. Si vero quis tentare vult emeticorum & purgantium effectum, ille eligere debet vehemens, cito agens & liquidum, qualia sunt aqua benedicta Rulandi, infusum croci metallorum, florum, vitri, & reguli antimonii, solutio tartari emetici, oxysaccharum emeticum, Syrupus rubi dæi emeticus, Sapa emetica Dn. L' EMMERI. A vitriolo albo abstinendum, quoniam inibi latet simul vis adstringens.

## Th. XIX.

Ad chirurgica remedia in ipso paroxysmo hujus morbi gravissimi primario confugiendum, quo, præter jam  
D. indi-

indicatas frictions & clysteres, referri debet venæsectio, confestim instituta, & quidem larga, vel aliquoties repetita, in subjectis plethoricis, & comotationibus deditis, quorum facies vivida est & rutilans, vel bene colorata. Dum enim in plerisque apoplecticis cerebrum fugillatum, vasaque vel rupta, vel sanguine distenta, sunt reperta, ideo statuendum, venæsectionem esse optimum omnium apoplecticorum remedium, quod in serosa quoque promovet lymphæ ad vasa sua introitum & reditum. Aperiuntur communissime per lanceolam venæ ranina, vel cephalica, basilica, aut mediana, flexuræ cubiti, salvatella digitorum, saphænæ in pedibus, secundum recentiores vero secantur venæ cerebro vicinæ, v. g. vena jugularis secundum PITCARNIVM, in *Element. med.* p. 98. venæ occipitales secundum MORGAGNI, in *Adversar.* VI. p. 108. quia cum sinibus, lateraliter descendentes, duræ matris immediatum exercent commercium. Ita & torcular Herophili cum sinu profundo, ad plexum choroideum tendente, a sanguine superfluo liberatur. Accusat torcular Herophili, a sanguine obstructum, imprimis, ut Apoplexiæ sedem, laudatus NEYMANNVS, Wittebergensis, in *Tract. de Apoplexia*, Cap. 14. Si vero venæ occipitales, propter profundum situm, aciem lanceolæ subterfugiant, fieri in hoc loco potest profunda scarificatio, & cucurbitularum majorum applicatio. Observarunt enim Anatomici, quod venæ occipitales interdum sint simplices, interdum in aliis contra subjectis in varios ramos divisæ. Hi rami per profundam scarificationem vulnerantur, & per cucurbitulas postea sanguis extrahitur. Nonnulli commendant in Apoplexia arteriotomiam, quod nuperrime fecit Angliæ Medicus, D. CATHERWOOT, eam, ut universale Apoplexiæ, imo certissimum remedium, extollens. Sed quid præstat aliud, quam copiosorem sanguinis evacuationem, & quidem sanguinis spirituosum? Hinc adeo proficua non est. Scarificationes & cucurbitæ magnæ, applicatæ in vertice, dorso

dorso & femoribus, usum quoque habent egregium. Alii loco horum commendant ferrum calidum (*ein heißes Bigel-Eisen*) vertici applicatum, ad dissipandam resolvendamque in cerebro stagnantem lympham, massamque sanguineam coagulata. Alii cauterium nuchæ & vertici, in nexu futuræ coronalis & lambdoideæ, inurunt, ad sensum excitandum, & irritanda vasa nervosa, quæ per suturas penetrant, & commercium intra duram matrem & pericranium exercent. Alii cauterio lato comburunt plantas pedum, quod remedii genus commendat MASTICHELLIVS, celeber. Rom. Medicus, in Tract. *de Apoplexia*, quæ operatio sane non contemnenda, quoniam 1.) in plantis pedum concursus est plurimorum nervorum ligamentorum, tendinum & membranarum nervosarum, quorum nexus existit cum reliquis nervis, & spinali medulla. 2.) Quoniam ita per dolorem fortiter irritati nervi motus cessantes reassumunt. Quæcunque enim dolorem inferunt, efficiunt, ut vasa & muscoli contrahantur validius, ut liquores infarciens promptius ex semetipsis expellant, uti loquitur PITCARNIVS, l. c. p. 98. 3.) Quoniam est novi insultus remedium prophylacticum. Revellit enim atque evacuat, dum, separata crusta, humores peccantes, & cerebro molesti, per profundum ulcus educuntur. Ulcus vero debito modo defendendum, suppurandum, mundificandum, & tandem consolidandum.

## Thef. XX.

Apoplexia, ex ictu, casu, contusionibus capitis, fissura, contrafissura, fractura, depressione cranii nata, exposcit instrumenta chirurgica, qualia sunt elevatorium cranii, item trepanatio. Per hanc cranium perforandum, secundum regulas & cautelas chirurgorum, quo sanguis & purulenta materia educatur, ita conservavit incomparabilis VESALIVS Carolum juniorem regis Hispaniæ, Philippi secundi,

di, filium, & Caroli quinti, Imperatoris, nepotem, apoplecticum, ex cujus capite, post sectionem, ingentem puris foetidi copiam eduxit, & ita hunc Principem ex mortis faucibus eripuit, frementibus Archiatris Hispania, quod Infans Hispaniarum Germano Medico vitam debeat atque salutem. In polypis cerebri atque sanguineis res valde desperata est, nec ullum remedium fere inveniri potest, sufficiens ad tollendam gravem hanc causam. Si vero talis polypus cerebri praesentia conjecturatur, diatae regimen, & remedium cephalicorum atque aperientium usus, hominem per tempus servare potest, teste experientia eminentissimi Cardinalis SACCHETTI, nuperrime defuncti, & per sex annos molesta Cephalaea excruciat, in cujus cerebro, occiput versus, polypus, ovi columbini molem adaequans, inventus fuit.

### Th. XXI.

Cura prophylactica extra paroxysmum, si aegrotantes ad se redeunt, ita instituenda, ut circulatio sanguinis, lymphæ & spirituum, denuo inchoata, perfecte conservetur, spiritus & cerebrum confortetur, & causæ, fortassis residuæ, removeantur. Hunc in finem applicari potest in nucha vel vesicatorium, vel fonticulus, vel setaceum. Si vero in plantis pedum, secundum MASTICHELLIVM, vel in aliis locis, ferro candente ustio fuerit instituta, hæc omitti possunt, ulceris vero consolidatio per aliquod tempus protrahenda, ad evacuantiam materiam peccantem. In plethoricis, exigente necessitate, reiterari potest sanguinis superflui evacuatio, sive illa fiat per venæsectionem, sive per scarificationem, & cucurbitularum applicationem. Simili modo frictionum & linimentorum spirituosorum in capite toto, nucha, dorso atque thorace, usus non negligendus, sed reiterandus & continuandus. In Apoplexia serosa, finito paroxysmo, locum inveniunt purgantia hydragoga ex pilulis hydra-

hydragogis Bontii, tartareis Quercetani marocostinis, extracto rhabarbari, refinæ gialappæ atque scammonii. Quo pertinent & infusa ex radice asari, turpethi, hellebori nigri, serpentariæ sassafratæ, five majoris, quæ paulo rarior est, vel minoris, utpote in officinis receptæ, agarico, foliis fennæ, rhabarbaro, quibus addi possunt cephalica, ut radix pœoniæ, ir. florentinæ, ninzig, pareyeræ bravæ, galangæ, zedoariæ, herba betonica, roris marini, salviæ ac mellæ Zeylanicæ, mari veri & Syriaci, floribus anthos, acaciæ, liliorum convallium, primulæ veris, stoechadis Arabicæ, semine anisi, coriandri, cubebis, ligno sandalo citrino, nerulino, costo vero, cortice culilaban, cassæcarillæ, cinnamomo, quæ cum vino Mosellano infunduntur, & ad uncias quinque, exigente necessitate, dantur. Nonnulli interdicit vini usum plane, & commendant potiones ac decocta aquea, diluendi & temperandi fine, id quod nos quoque probamus, non vero usum vini bonæ notæ, inprimis medicati, plane damnamus. CRATO, in Epistolis, decoctum sarsaparillæ laudat; PITCARNIVS corticis & ligni guajaci & sassafras; TABERNEMONTANVS radicis pentaphylli: In quibus vero omnibus nulla vis specificæ contra Apoplexiam delitescit, sed sunt remedia, quæ acidum infringunt atque educunt per urinam & sudorem, & viscositates diluunt, vasque obstructa aperiunt. Quo pertinent radices scrophulariæ, scorzonæræ, bardanæ, quinque aperienses majores & minores. Horum vero activitas magis augetur, si diuretica & diaphoretica, ab omnibus practicis in Apoplexia laudata, simul combinantur, qualia sunt Salia, ex herbarum cephalicarum cineribus parata, qualia reperiuntur apud MYSICHTVM, v. gr. roris marini, &c. Tinctura tartari & antimoniî tartarificata, tartarus resolubilis, arcanum tartari. Diaphoretica, quæ simul cerebrum aperiunt, spiritus confortant, & liquida viscosa dissolvunt, imo acida temperant, sunt Salia volatilia oleosa regni animalis & vegetabilis. Lau-

dat quidem unus spiritum cranii humani, alter sanguinis humani & cervini, tertius spiritum microcosmicum, quartus fuliginis, sed inter omnia Salia volatilia nulla fere, ad minimum valde exigua est differentia, & in illis nequaquam specifica determinata vis contra Apoplexiam, Epilepsiam, aliosque affectus quarenda est. Sufficit Spiritus Salis ammoniaci, rite præparatus, & cum oleis æthereis aromaticis junctus, qualia sunt cinnam. cubeb. cardamom. citr. lavendul. zerræ, anth. rut. salv. &c. quo pertinet Tinctura solis Anglicana, cum Spiritu urinæ parata, Tinctura sulphuris, lunæ, cum Menstruo vinoso & urinoso elaborata, liquor cornu cervi succinatus, liquores cephalici minerales, dulces, & ab omni acido liberati, Tinct. coralliorum, castorei & succini volatilis, Essentiæ aromaticæ, quintæ Essentiæ aromaticæ, mari veri B. WEDELII, ambra, ligni aloes, elixirium cephalicum, cum Spiritu vitrioli cephalico extractum. Denique pulveres cephalici, cinnabarii, ut specificum cephalicum Michaelis, species diarrhodon Abbatis, diamoschi, dianthos, diaxyloaloes, lætificantes Galeni & Rhafis, cum succino præparato, perlis præparatis, &c. Non negligenda insuper sunt externa confortantia, ut species pro epithemate cordis, item pro cucuphis ex plantis aromaticis fragrantibus, capiti dorso & pectori applicanda.

Dietæ regimen in hoc tam gravi morbo secundum regulas instituendum. Aer sit serenus, moderate calidus, & effluviis balsamicis confortantibus imprægnatus; cibus & potus sit tenuis, levis, aliquantum spirituosus & aromatizatus. Decubitus supinus omni modo evitandus, corpusque, si fieri potest, moderate commovendum, cum hilaritate & gaudio. Excretiones liberæ servandæ, & si necessitas exposcit, per remedia sollicitandæ & promovendæ.

Son

# Sonnet.



Ygina redete die Flore lieblich an:  
Du prangst / O Schwester! ietzt bey  
neu-belebten Zeiten/  
In einem bunten Rock mit tausend Lieblichkei-  
ten /

Nachdem der Erden-Schooß sich wieder auf-  
gethan.

Doch glaube / daß man mich auch glücklich  
nennen kan:

Ich will lder Söhne Fuß auf deine Auen lei-  
ten /

Sie sollen Arzeneen aus ihrem Schatz berei-  
ten.

Mein Eggert tritt zugleich auf die begrün-  
te Bahn;

Mein Eggert, der mich ehrt / der seinen  
muntern Fleiß,

Und tieffe Wissenschaft in diesen Blättern  
zeigt.

Da-

Dahero bin ich JHM vor vielen hochge-  
neigt/

Und meine Danckbarkeit ertheilt JHM Eh-  
ren-Preis.

Ich freue mich / mein Freund! und wünsche  
DJR zu Ende/

Hiernächst ein Tausendschön in die bemühten  
Hände!

Mit diesen wenigen Versen hat dem  
Herrn Doctor zu dessen hoch-  
rühmlich erlangten Doctor-  
Würde

aufwarten sollen

L. H. S. V. R.

L. L. C.

